



2b. 15



21.
MAGNIFICUS
Electoralis cis Viadrum
academiæ RECTOR
CYRIACUS

HERDESIANUS,
Juris-Consultus & Antecessor

Ad sollemnia Doctoralia

quibus

A. d. IV. Kal. Aug.

Excellentiss: Consultiss: & CL. Vir.

DN. JOANNES NEANDER, V.J.D.

& Imperialium Institutionum Professor P.

Amplissimique Ordinis Juridici p. t. DECANUS

spectatissimus

Viro ingenio, doctrinâ, virtute &

humanitate præstantissimo

DN. ANDRÆ CONRADI

Cygnæ-Misnico

Supremos in jure Cæsareo & Pontificio honores,


certo sollemniq; ritu conferet

Omnes literatos cives amanter invitatur

ANNO M. DC. XXII.

Literis

HARTMANNIANIS,



Admirari subit interdum, quid in mentem ve-
nerit olim Pannonibus: quos Ludovicus Vi-
ves memoriæ prodidit non sine jure quidem,
sine juris tamen consultis vivere voluisse. Si e-
nim, non dico aurificis staterâ, sed quadam vel popu-
lari rutinâ rem examinemus; haut secus illi fecisse vi-
dentur, atque ii, qui vestimentis quidem frigoris de-
pellendi, corporisq; ornandi causâ; aut domo, tutis.
cujusque refugio, & ad arcenda incommoda, quæ à
ventis, imbris, & æstibus inferri solent, integumen-
to carere nolint: sed sarcinatoribus & ædificatoribus
nullum apud sese locum relinquere velint. Enimverò
ut vestimentum non nisi sartor concipere & reficere,
& domum solus fabricare & instaurare ædicator pos-
test: sic jura nec sine juris-consultis, quod Alexandri
Severi, Principis optimi, docet exemplum, rectè con-
dantur: (unde ipsi juris conditores passim appellan-
tur) & ab iisdem, si obscura sunt, declarantur: si ambi-
gua, distinguuntur: si in speciem contraria, concilian-
tur: si manca, (quod ex parte vel ipsorū, quâ generali-
ter scripta & concepta, nec in singulas personas con-
stituta cum sint, facta & eventa singularia omnia non
complectuntur; vel legislatoris, ejusque tam inviti
quam volentis, fieri potest,) interpretatione supplen-
tur. Quocirca Pomponius rectè scripsit, *jus constare non
posse, nisi sit aliquis juris-peritus per quem possit quotidie in me-
lius produci: sicut, eodem teste, ne tantillum quidem est jus in ci-
vitate esse, nisi sint qui jura regere & reddere possint.* Simplici-
ter illi quidem, quos diximus, populi, & bonâ fide ex
antiquis moribus, & paucis quibusdam legibus res ju-
dicasse ac dissensiones suorum civium composuisse
dicuntur:

dicuntur: sed tamen *legibus*, siue numero plures sint, siue pauciores, *latis naturaliter evenire solet*, ut interpretatio desideret prudentium auctoritatem: & necessaria sit fori disputatio: quam Juris-peritorum propriam esse nemo nescit. Quod si, ut à Jureconsultis abhorrent, Pannonas permovit quorundam vel causidicorum ac fori tintinnabulorum imperitia, qui ad agendum prius quam ad discendum veniunt: vel Chrysalorum siue Jasonum, quos auri præpostera fames ad Colchos & aureum vellus potius, quam ad Themidis sacraria ducit, avaritia: vel nequitia Practicorum, qui, ut Bernhardtus ait verbis, *stupratis suas linguas docuerunt loqui mēdaciū, disertis adversus justiciam, eruditi pro falsitate: qui sapientes sunt, ut faciant malum, eloquentes, ut impugnent verum: qui instruunt, à quibus fuerant instruendi: adstruunt non comperta, sed sua: destruunt simplicitatem veritatis: obstruunt iudicii vias: qui denique aut bene inventas leges male fingunt ac refingunt, & per ambiguas interpretationes adulterant: aut fallacibus diverticulis lites protelant & ex temporariis immortales faciunt: si, inquam, eos mercenaria, quam Tertullianus vocat, advocatio in eam sententiam adduxit: parum prudenter, ne quid gravius dicam, fecerunt: qui crimina paucorum in omnes diffundere, & rei substantiam atque usum cum abusu confundere, & propter hunc juris-prudentiam damnare, & per ejus latus omnes omninò res bonas confodere non sint veriti. Quid est enim in rebus omnibus adeò bonum, quo abuti non possis, si velis? seu, ut cum Poeta loquar,*

Quid prodest, quod non lædere possit idem?
Quid pane utilius? Sodomæ tamen ejus abundantia nocuit.

nocuit. Quid vino salutaris? plures tamen ebrietas
quam gladius necuit. Quid tranquillitate humanæ
pacis, & rerum ubertate melius? complures tamen il-
lam ad usum vertunt vanæ securitatis; istam ad perversi-
onem intorquent voluptatis. Quemadmodum verò
paucorum culpa, quæ Hieronymi adversus Vigilantium
vox, non præjudicat religioni (Apostolorum enim fidem
Judæ proditio non destruxit) ita nec quorundam juris
perditorum magis quam peritorum, conculcatorum,
quam consultorum, coctorum quam doctorum, jurgi-
starum quam Iuristarum vitia & numorum aucupia,
arti & dignitati præjudicare aut derogare possunt Iu-
ris-consultorum: quos usus rerum docet vel in senatu
Principes esse sententiarum, vel regendarum civita-
tum duces, vel consilii auctores publici, vel judicio-
rum optimos tam athletas, quam gubernatores in omni
loco ævoque felices. Sit igitur in precio civilis sapien-
tia: quippe res sanctissima: per quam principem in ci-
vitate locum acquiri Tacitus; nobilem nobiliorem fie-
ri, docet Spartianus. Sint in honore Iuris-consulti, Le-
gum illi Antitistes, & justitiæ Sacerdotes; maximè qui
titulum istum precio vel prece non emendicarunt:
nec absque examine & eruditionis specimine, ex solo
rescripto & diplomate seu bulla, impetrarunt: sed in
legitimo examine, tam privato quam publico, omni-
um non modo Censurum suffragiis, sed etiam Audi-
torum & Spectatorum publicâ approbatione merue-
runt. In illis hoc quidem tempore nomen profitetur
suum CL. & præstantiss. Vir, DN. ANDREAS CONRADI,
Zuicæ, in urbe Misniæ, à Lothario Imperatore Saxo-
ne cõditâ, Patre MICHAELE CONRADI, viro Prudentiss
& honoratissimo, Senatore ac Pratore Suburbano
MICHA-

MICHAELIS Prætoris Urbani meritis. F., natus. Hic ex
scholâ patriâ, quæ olim severioris disciplinæ ergastu-
lum audiebat, & optimâ Parentum disciplinâ egressus,
ante septennium circiter superioris Saxonie celeberrimâ
academiâ Wittebergensē adiit: & biennium illâ inco-
lavit: jurisq; studio, cui se addixerat, monitu Balduini,
philosophiæ nervos ac politioris literaturæ ornamē-
ta adjunxit: ac ne Astronomiâ quidem ac Geometriâ,
ad quas multi hodie nauscant, negligendas sibi duxit.
Illinc digressum Erfordia & Lipsia suscepit: utriq; cū
menses aliquot dedisset, in Salanâ academiâ quatuor
annos posuit: & fundamētis juris in Wittekindi mon-
te, ductu *Hirschbachii, Forsteri, Beckmanni, J. C. CLL.* probè
jactis, præclaram doctrinæ legalis arcem superstruere
summâ industriâ cepit. Quam ad rem multum ipsi cō-
tulit fidelis & recta institutio cum publica *Fomanni, A-
rumai, Riemeri, Mulphortii,* Antecessorū celeberrimorū: ū
privata *D. Feuerisen, M. Königes* jam Professoris in aca-
demiâ novâ Rindelianâ, *Heinrici Neuenban, & Joannis
Reuteri:* quorum in collegia disputatoria tum demum
se adscribi passus est, cum jam mediocriter in juris co-
gnitione profecisset. Nam eorum, qui à disputationi-
bus studium juris ordiuntur, operâ, ut magni quidem
nominis Iurisc. Germanus, & Philosophus Italus rectè
scripsere, nihil infelicius: qui dum se celeriter expedi-
re cupiunt, magis impediunt: & dum se perperam exer-
cent, vitiosum contrahunt habitum, ac pro celebribus
Iuris-consultis infames evadunt Sophistæ & Leguleij.
Sed ut e semitâ in viam redeam, in Collegiis istis Dn.
Candidatus noster disputationes, cum Lindemanni su-
per Institutiones, tum Treutleri super Pandectas, ceu
telâ Penelopes retexi, & leges in sua principia resolvi,
&

& singulas juris quæstiones à doctissimis viris & juvenibus, quos inter & ipse, contrarias in partes examinari magno suo cum fructu audiit: & quasi ferro sibi veritatis viam aperuit. Neque tamē semper auditor tantum fuit: sed in privatis collegiis aliquoties pro jure respondit: & studia ex umbrâ in Solem educens, cum decadem quæstionum ex Institutionibus Imperialibus decerptâ, & *Φυσικῶς* edolatam, sub tutamine M. Mylii, Philosophorum lenensium; tum disputationē de prioritate successorum legitimorū, sub Præsidio D. Riemeri, Iureconsultorum ejusdem lycēi censuræ subjecit: in utraq; partes suas strennuè egit, pulcerrimeq; stetit. Quin & *ἀμιδί* semel atq; iterum scientiæ legitimæ elementa aliis tradidit: & felici successu, nec sine laude absolvit. Nō opus hīc est verbis: rerū testimonia adsunt: duæ nempe disputationes ab ipso scriptæ, & publici juris factæ: una de Emptione-venditione, contractu ut frequentissimo, ita plurimis difficultatibus obsepto: altera de generatione & corruptione testamenti: ex utraq; juris agnoscat non tironem, sed Polytam Ulpianus: nō secus ac Protogenes ex unitâ lineâ ductâ Apellem. Ante trimestre spaciū, huc ad nos venit, mercedē laborum, præmium studiorum, summum utroq; in jure honorem ac Doctoris titulum ab Ampliss. Juris C. Ordine petiturus: quem ipsi nō in marsupio, ut Alcianus dicere solebat, sed in scientiâ, quid posset, examinato, post præclara tam in privatâ, quàm publicâ *συστημί* *σὺ* & *Ναρεῖβη* in multam vesperam productâ, doctrinæ legalis & virtutis specimina antecessores Juris, Collegæ nostri honorandi, ab Excellentiss. & CL. viro, Dn. Doctore JOANNE NEANDRO, DECANO p. t. spectatissimo, conferendū esse consensu & decreto cōspirante juxtâ
mecum.

meū cēsuerunt. Iſti renūciationis ſollemnitati, quod bene ac feliciter vortat, cum craſtinus dictus ſit dies: ut ad eam omnes omnium academiæ ordinum Proceſſes & cives, non ſolum amorem ac cultum Ampliſs. J. C. Ordini probaturi, ſed etiam vota pro felici honorum Dn. Candidati ſucceſſu, & ſtudiorum legitimorum, omniumq; bonarū artium cōſervatione facturi, magno numero convenient, amanter hortamur ac rogamus. Et verò æquū eſt, colere & amare Ordinē illū: ſine quo reſpub. etiam principis Philoſophi iudicio, rectè feliciterq; habitari nō poteſt: tū etiā divinæ bonitati gratias agere: quod, cum finitimæ provinciæ inter armorum ſtrepitus & bellicos tumultus, verbi divini, bonarumq; legum & artium voces exaudire vix poſſint; nobis adhuc, qui ſub umbrā alarum cœleſtium tuti deliteſcimus, verbum divinum ſine omni Phariſaico fermēto, & traditionum humanarum additamento; & leges generi humano ſalutares ſine glosſarum Cernotinarū offuciis; & artes bonas ſine Sophiſticis præſtigiis audire, diſcere, & docere licet: otia nobis hæc faciente ſecū dum Deum *Principe Electore Sereniſſimo, Dn. GEORGIO WILHELMO*, Domino noſtro Clementiſſimo, cui vitā prolixam, imperium ſecurum, domum tutam, ſenatum fidelē, populū probum, provinciam quietam vovemus & favem; & cujꝰ pro ſalute ac pacatiſs. gubernatione, totiuſq; ad eò illuſtriſs. domus Brandeburgicæ incolumitate & perenni proſperitate Deum æternum, Deum verum, & Deum vivum noctu interdique jure optimo vocamus. B, V.

M, C, N,

Ja 666

ULB Halle 3
002 177 021



5b-700

V017

MC







Farbkarte #13

B.I.G.



21.

...CUS
 Viadrum
 TOR
CUS
 NUS,
 ntecessor,
 alia
 ug.
 & CL.Vir.
DER, V.J.D.
 um Professor P.
 ici p. t. DECUS
 virtute &
 Simo
ONRADI
 Pontificio honores,
 feret
 anter invitat
 XII.
 ANIS.

